

Daniel Michaelis Joachim Giese

Disputatio Theologica De Angelis In Genere

Rostochi[i]: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739998811>


Druck Freier  Zugang



R U. Theol. 1652

Michaulis, Daniel

Vertr.: Sisacius, Joachim



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
ANGELIS
IN GENERE.

Quam,
Auxiliante divini Numinis Gratiâ,
Cum consensu & approbatione
Venerandæ Facultatis Theologicæ
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI,
SUB PRÆSIDIO
ADMODUM REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
VIRI

DN. DANIELIS MICHAËLIS,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, PROFES-
SORIS PUBLICI, ET FACULTATIS THEOLO-
GICÆ H. T. DECANI SPECTABILIS,

Patroni, Præceptoris, & Promotoris sui, omni
observantiæ cultu prosequendi,

*Publicè in Auditorio Majori d. 28. Septembr. pridie nimi-
rùm Festi Michaëlis, examinandam proponit*

JOACHIMUS GISÆUS,
HUSENSIS HOLSATUS.
A. & R.

••: (o) :••

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typographi,
ANNO M. DC. LII.

DISSEMINATION OF THEOLOGY

AMGELLIS

AMGELLIS

AMGELLIS

AMGELLIS

DANIEL MICHAELIS

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

D. V.
DE ANGELIS IN GENERE.

§. 1.

Inter Creaturas Dei eminent inprimis Angeli, dicti *ἄγγελοι*, à nunciando: quoniam sunt nuncii Dei, & voluntatem divinam hominibus annunciant. Ideò Angelus dicitur, quia Dei sententias hominibus *ἄγγελλει* et annunciat, ait Chylostomus de incompr. Dei nat. hom. 3. Ebraeis dicuntur *מַלְאָכִים* i. e. missi (à radice, ut quibusdam videtur, *מָלַךְ*, inusitata quidem in lingua sancta, at in Æthiopicà usitatissima, quæ mittere ac servire Æthiopicis significat): quòd à Deo tanquam legati ejus ad homines mitti soleant: aut, quia mittuntur in ministerium propter eos, qui hæredes erunt salutis Ebr. 1. v. ult.

§. 2. Utrumq; igitur officii, non naturæ & essentiæ nomen est. Quod bene notat Tertullianus lib. de carne Christi fol. m. 29. cum Filium Dei dictum scribit Angelum magni consilii, i. e. nuncium, officii non naturæ vocabulo. Et Hilarius l. 5. de Trinit. inquit: Significationem officii (Scriptura) testatur in Nuncio, quando scil. cælestes Spiritus vocat Angelos i. e. Nuncios. Quibus gemina habet Augustinus in Enarr. in Ps. 104. Angelus, inquam, officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen ejus naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus. Ex eo, quod est, Spiritus est; ex eo, quod agit, Angelus.

§. 3. Dicitur autem officii nomen, quòd vi originis & nativæ suæ significationis non ipsam rei naturam exprimat, sed usu loquendi inditum sit ob rationem, ab ejus officio desumptam. Quæ ratio quòd communior est, & pluribus competit, eò latius patet nomen ipsum. Hinc quemadmodum hominibus etiam convenit mitti, & nuncii officio fungi; ita in S. literis Angeli vox ipsis etiam tribuitur, & vocantur ita (1.) Nuncii, ab hominibus missi, Gen. 32. 3. 1. Sam. 23. 27. Prov. 13. 17. Luc. 7. 24. Jac. 2. 25. (2.) Ministri & Dd. Ecclesiæ, Mal. 2. 7. c. 3. 1. Math. 11. 10. Marc. 1. 2. Apoc. 1. 20. e. 2. v. 1, 8, 12, 18. c. 3. v. 1, 7, 14. qui sunt ipsius Dei nuncii. Nam funguntur legatione Christi nomine, & per ipsos hortatur nos Deus, 2. Cor. 5. 20. Confer Hagg. 1. 13. (3.) Imò ipse Dei filius Mal. 3. 1. dictus est Ange-

A 2

lus,

lus, et si cum additamento, nempe Angelus foederis, vel, quod foedus gratiae, de se olim promissum Gen. 17. 19. c. 22. 18. in diebus carnis suae esset annunciaturus, vel etiam, quod Deus Pater ipsum in plenitudine temporis esset missurus, ut foedus illud consummaret, & sanguine suo confirmaret. Et Esa. 9. 6. vocant eum 70. Interpretes magni consilii Angelum i. e. Nuncium. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annunciaturus seculo erat, ait Tertullianus l. c.

§. 4. Quamquam verò Angeli vox ex vi sua officii nomen est, & cuius nuncio vel legato convenit: usus tamen loquendi obtinuit, ut eadem simpliciter & absolute accepta in specie denotentur substantiae quaedam spirituales, intelligentes, homine praestantiores, quas Aristoteles 8. Phys. & 12. Met. substantias separatas, item intelligentias; Platonici verò, ut volunt Auctores, Dæmones vocant. Nobis Christianis autem eadem dicuntur Angeli, praecunte S. Scriptura: quoniam, ut loquitur Epistola ad Ebr. c. 1. 14. sunt πνεύματα λειτουργία; Spiritus administratorii, missi in ministerium propter eos, qui haeredes erunt salutis: quae appellationis ratio, ut liquet, itidem ab eorum officio petita est.

§. 5. Esse autem huiusmodi Angelos Scriptura Ps. 91. 11. Ps. 104. 4. Mat. 4. v. 6, 11. c. 13. 39. Ebr. 1. v. ult. & alibi tam diserte affirmat, ut negari, aut saltem in dubium vocari non possit, nisi ab eo fortasse, qui vel de certitudine Scripturae dubitare, vel ejus manifesta verba pro lubitu, in quovis, vult sensum, torquere audeat. Quod referente Chemnitio part. 1. L. C. de Creat. p. m. 323. avorum memoria quidam Anabaptistae ausi sunt, docentes, non esse peculiare Creaturas, quae vocentur Angeli: sed si quando Deus exerat suam potentiam ad nocendum vel puniendum, hoc vocari malum Angelum; & contra bonum appellari, si quando Deus nos custodiat & conservet. Quibus praeverunt Sadducaei, dicentes, non esse Angelum, neque Spiritum, ut scriptum est Act. 23. 8. Nec asserit Scriptura solum, dari Angelos, sed crebras etiam Angelorum apparitiones commemorat, ut notum est.

§. 6. Causa illorum efficiens est Deus, qui ut ex nihilo produxit hoc universum, ita Angelos etiam creavit, ut colligitur ex eo, quod S. Scriptura primo testatur, omnia praeter Deum esse facta à Deo, Job. 13. Rom. 11. 36. Secundo Angelos in specie annumerat creaturis Ps. 148. v. 2, 5. Ps. 104. 4. Ebr. 1. 7. Col. 1. 16. Addantur illa Ps. 33. 6. Verbo Domini caeli facti sunt, & Spi-

& Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. *Exercitus a. illi non astrum tantum sunt, sed & Angeli cum primis, juxta illud Ps. 103. v. 20, 21. Laudate Dominum O. Angeli ejus laudate Dominum omnes exercitus ejus, ministri ejus, facientes placitum ejus. Et 1. Reg. 22. v. 19, 20, 21. Vidi Dominum, sedentem in solio suo, & O. exercitum cœlorum stantem à dextrâ ejus, & sinistrâ ejus. Videantur reliqua. Ps. 146. 6. Dominus Deus fecit cœlos & terram, mare, & quicquid est in eis, quod repetitur Act 4. 24. Per ea autem, quæ in cælis sunt, etiam angelos denotari, manifestum est. Ne dicam, quod ministri Dei sint, ut passim Scriptura docet. Creatura ergo utiq; & quidem præcipua, Matt. 22. 30. Perfectio Angelorum in cœlo est major perfectione hominis, & terminus, ad quem perfectio hominum perventura est beneficio resurrectionis & salvationis.*

S. 7. Quando autem, & quo die conditi sint, incertum est. Multi ex Patribus tam Græcis, quam Latinis docuerunt, eos esse creatos à Deo ante mundum visibilem & corporeum. Quibus quò minus assentiamus, obstat, quòd stylo Scriptura æternitas, quæ soli Deo convenit, per existentiam ante mundum conditum describi, & per eam verus ac æternus Deus ab omnibus, quæ non sunt Deus, distingui solet Ps. 90. 2. Prov. 8. 22 seqq. Esa. 43. 13. Job. 17. 5. Job. 1. 1. Eph. 1. 4. 1. Pet. 1. 20.

S. 8. Undè alii existimarunt, illos creatos esse tunc demùm, cum conditus est mundus hic visibilis, & quidem primo statim die, quo facta dicitur lux: quin lucis nomine ipsos signari Angelos. Quæ sententia eâ quidem parte, quâ cum hoc universo Angelos conditos statuit, vera est, propter rationem, modò allatam: alterâ a. parte, quâ primò creationis die eos productos dicit, incerta est, neq; alloquitur firmo fundamento. Nec n. aliqua ratio urgens adferri potest, ob quam lucis vocabulum in historiâ creationis, quando primi diei opera describuntur, non propriè & secundum litteram de luce corporeâ, sed per metaphoram de Angelis accipi oporteat, imprimis, quàm apertè apud Moysen legamus, primæ diei lucem à Deo diem vocatam. Quocirca si de die vel temporis momento, quo creati sint Angeli, quæatur, malumus nos ἐπιχρησθαι, quàm temerè quid effutire. Etenim nusquam, quòd sciamus, in Scripturis hoc revelatum est. Tacente autem Scripturâ, quis loquetur de iis, quorum notitia non aliundè, quàm ex S. Scriptura revelatione haberi potest?

S. 9. Ex creatione pendet Angelorum natura, cujus ratione sunt
A 3 Substan-

Substantiæ simplices, completæ, intelligentes, creati in sapientiâ, justitiâ & sanctitate, ut Deum creatorem suum laudent, ejusque mandata exequantur, & æternâ beatitudine tandem perfruantur.

§. 10. Substantiæ simplices dicuntur Angeli, non quod prorsus nulla in eos compositio cadat, nam solus Deus omnis omnino compositio- nis expertus est: sed quia non sunt compositi ex partibus vel essentialibus materiâ nim. & formâ; vel integralibus, membris putâ corporeis. Interim, cum creaturae sint, compositionem ex subiecto & accidente ha- bent: nam scientia, justitia, sanctitas, & id genus alia, quæ iis insunt, ac- cidentia sunt, & realem in ipsis compositionem inserunt. Tribuitur quoque, iis compositio ex essentiâ & existentia, ex naturâ specificâ & differentiâ individuante, ex genere deniq; & differentiâ.

§. 11. Eodem sensu dicuntur Angeli etiam incorporei. Quemad- modum n. essentia corporis cujusque, consistit in materiâ & formâ subst- antiâli, inter se unitis: ita incorporeum sit oportet omne, quod essentiam corporis non habet, b. e. quod ex materiâ & formâ substantiâli non est compositum.

§. 12. Hoc igitur durum admodum, & tantum non absurdum est, quod è Christianis Dd. tum veteribus, tum recentioribus, haud pauci vera corpora Angelis tribuant, Græci pariter & Latini, non quidem palpabilia, at tamen subtilia instar tenuis aera, quæ in comparatione corporum crasso- rum & spissorum rectè dici spiritus affirmant; quamvis respectu habito ad summum & incircumscriptum Spiritum, Deum, corpora dicenda esse co- nentur defendere. Fingunt itaque, distincta corpora angelica à corporibus humanis, ac πῶρον ἴερὸν αἶθρῶν, solum Deum incorporeum, reliqua verò à Deo creata de naturâ corporis participare, καὶ μόνον τὸ ἀκίνητον αἶθρῶν, id tantummodò quod non est creatum, immateriale esse contendunt.

§. 13. Ita verò ex antiquissimis Pp. Origenes & Tertullianus, quique eos sequuntur, loqui amant, non sine insigni ἀνευλογητῶν. Si etenim per corpus substantiam intelligunt, loquuntur id, quod res est; neque n. sunt accidentia substantiarum. Verum de eò quæritur: an Angeli ex nihilo sint producti, an verò ex materiâ præjacente, atheræâ, aut elementari, igneâ, æreâ, vel simili, à quâ in fieri & factò esse suisque actionibus dependeat? Fin- gere n. corpora instar aera tenuia & subtilia, est corpora asserere spiritualiâ ac incorporea, dependentia à materiâ, & non dependentia; sive, dari na- turam

turam corpoream, spirituales, compositam essentialiter. Ratio, quam afferunt nonnulli eorum, est invalida: quemadmodum, inquiunt, aër, quamvis corpus sit, tñ. propter subtilitatem sui vocatur Spiritus. Nam Tirones lingua Ebraea norunt, רוּחַ utrumq; & ventum, & Spiritum, notare; nec tñ. ventum spirantem propterea esse spiritum, non magis quam aërem. Autores istius opinionis bene multos laudant Hugo Grotius in voto, pro pace Ecclesiastica suscepto, sub calcem, qui & ipse corpora statuit angelica, distincta ab humanis, nec non Gerh. Joh. Vossius lib. 1. part. 1. cap. 6. de origine & progressu idololatriæ.

§. 14. Nos suprâ §. 10. diximus, Angelos dici substantias simplices, quòd nec ex essentialibus, materiâ sc. & formâ; nec ex integralibus partibus ullis composiri sint. Ex quo fluit, quòd incorporei dicendi sint, non tantum quoad nos, ut vult Damascenus l. 2. de Orthod. fid. c. 3. sed secundum se & absolute. Nam, ut jam ostendebamus, id ipsum dicitur incorporeum absolute, quod expers est omnis materia, vel compositionis, materiam involventis, qualis est compositio ex partibus, tum essentialibus, tum integralibus.

§. 15. Ita verò simplices & incorporeos esse Angelos probatur ex eo, quòd in S. literis absolute vocantur Spiritus Matth. 8. 16. Ebr. 1. v. ult. & c.

§. 16. Dicis: Nomen Spiritus tribui etiam rebus corporeis, v. g. vento, aeri & c. Resp. Verum esse, quòd vox Spiritus interdum ita accipitur. Interim quando de vivente & intellectu præditâ substantiâ absolute prædicatur, quòd Spiritus sit, vocabulum Spiritus aliter accipiendum est, prout nimirum incorpoream, sive omnis materia expertem, naturam denotat. Quod inductione exemplorum probari potest. Nulla n. intelligens substantia dicitur absolute Spiritus, præter Deum Job. 4. 24. 2. Cor. 3. 17. 1. Job. 5. 7. animam rationalem Eccl. 12. 7. Act. 7. 59. & Angelos. Quia autem de Deo & animâ rationali aliunde constat, & evidenter probari potest, quòd immateriales sint, nec ulla urget ratio, ut de Angelis adhibitam vocem Spiritus aliter accipiamus, merito ipsos etiam immateriales ac incorporeos esse asserimus, donec contrarium invictis rationibus demonstretur.

§. 17. Quoniam ergò Angeli sunt Spiritus, immortales etiam & incorruptibiles sunt: quicquid n. immateriatum est, id suâ naturâ incorruptibile est. Et, si anima nostra interim nequit, ut Christus affirmat
Matt.

Matth. 10. 28. nec angelica natura corruptioni obnoxia est. Idem ex loco, ubi degunt, colligitur: nihil n. corruptibile est, nisi hac sublunaria tantum. Angelus autem in cælis habitat. Indicavimus tamen, esse incorruptibiles naturâ suâ, i. e. naturaliter, seu vi nature sue non corrumpi aut desinere esse: nam si Dei potentiam spectes, corruptibiles omnino sunt, quippe quæ destrui omnia possunt, quæcumq; facta sunt. Quo sensu nulla creatura, sed ipse solus immortalitatem habet, ut est 1. Tim. 6. 16. Et huc etiam Synodus Oecumenica 6. respexit, cum act. XI. angelos & animas rationales immortales esse dicit, non naturâ, sed gratiâ. Eodem modo nonnumquam Patres quidam loquuntur, ut Justinus M. advers. Gentes 9. 13. Cyrillus Alex. l. 2. in Julian. & l. 8. Thesauri c. 2. Damascenus l. 2. de fide c. 3. Elias Cretensis in Nazianz. orat. 1. Isidorus Hispalens. l. 1. de summ. bon. c. 1. & c.

§. 18. Porro diximus suprâ in §. 9. Angelos esse substantias completas: idq; in ordine & oppositione ad animam rationalem, quæ etsi substantia spiritalis est, tñ. quia est pars alterius, nempe hominis, & natura sua ordinatur ad corpus, cum quo, tanquam cum altera parte componente, unum per se constituit, incompleta substantia est.

§. 19. Verum hic à nobis dissentiunt veteres nonnulli scriptores, qui Angelos dixerunt animas esse, corporibus sibi proportionatis naturaliter unitas, eundem in modum, quo anima rationalis unita est suo corpori. In qua opinione fuit Origenes, ut patet ex ejus *de Princ. l. 2. c. 2. & 8.* Idem ferè sensit olim Augustinus, ut ex ejus lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. & l. 3. c. 10. videre est, & ante ipsum Philosophi antiqui, quot quot astra f. corpora cœlestia animata esse docuerunt. Sed opinio hæc ut remerè conficta, ita dudum explosa est, quam nullo Scripture fundamento niti Augustinus ipse tandem agnovit *Retr. l. 1. c. 11. & l. 2. c. 14.* Constat quidem, Angelos apparuisse interdum hominibus reverà in corporibus, sub visum & tactum cadentibus: Verùm enim verò corpora illa, in quibus sese conspiciendos exhibuerunt, non fuerunt ipsis propria & naturalia, sed libera eorum voluntate ad tempus assumta: in quibus etiam extiterunt non ut anima in suo corpore, per modum formæ informantis, & interveniente unione essentiali: sed, ut motor in mobili, per modum formæ assistentis, & interveniente unione accidentali tantum. Quid a. de corporibus illis statuendum sit, a libi disquiritur.

§. 20. Pro-

§. 20. Progredimur ad ea, quæ restant. Diximus a. supr. à in §. 9. Angelos esse substantias intelligentes: quod testatur Scriptura luculentè, cum eos dicit Deum laudare, clamantes alter ad alterum: Sanctus, &c. Esa. 6. 3. adorare Deum Ebr. 1. 6. exequi ejus jussa Ps. 103. 20. Ebr. 1. 14. Quæ & alia similes operationes non nisi ab intelligente provenire possunt. Conf. 2. Sam. 14. 20.

§. 21. Proinde quum Angeli sint substantiæ intelligentes, imò mentes ab omni corpore secretæ, rerum cognitione & intelligentiâ maximè pollent, quin hæc vita ipsorum est: sicut n. planta & animalia tum dicuntur vivere, dum vegetantur & sentiunt: ita mentes illæ per id vivunt, quod semper intelligant. Nec tn. ipsa Angelorum essentia est intelligere eorum, seu, actus, quo intelligunt, ut veteres quidam Philosophi sentiunt: sed intellectio, quæ cum seipsum, tum alia intelligit Angelus, est actus realiter productus & accidens. Datur n. in Angelis 1. cognitio alia naturalis, alia revelata, seu supernaturalis; 2. aliorum cogitationes sunt bonæ, aliorum malæ; ut suo loco ostenditur. Quod si verò intellectio illorum esset ipsa eorum substantia, nec supernaturalis intellectio, nec cogitatio mala in eos caderet.

§. 22. Caterum cognoscunt 1. seipsum, ut & alios Angelos, sive se mutuo, nec non creaturas cæteras seu corporeas. De his non est dubium, quandoquidem id tum Scriptura, tum ratio docet: nam quum Scriptura testetur, Angelos curam hominû gerere, & iis ministrare, hoc utiq. indicat, eos, & nos, & res nostras nosse. Sine dubio etiam, quia intellectus angeli excellentior est humano, eæ, quæ nobis perspecta in rerum naturâ sunt, illius cognitionem effugere non possunt. Oportet autem, ut etiam se mutuo cognoscant: etenim quum unam rempubl. & societatem constituant, vivere in eâ sine sui internotione nequeunt.

§. 23. II. Cognoscunt Angeli DEUM cognitione, quam vocant abstractivam, quatenus à posteriori & ex creaturis cognosci potest. Nam Paulus Rom. 1. v. 19, 20. de hominibus asserit, & πῶς ὁ θεὸς ἑστὶν ἐν ἑαυτοῖς esse manifestum in iis, Deum n. patefecisse id illis per res creatas, ex quibus ejus invisibilia, æterna scil. potentia & Divinitas perspiciantur. Quis a. Angelico intellectui denegabit perfectionem, quam humano convenire ne dubitari quidem potest? Si homo ex creaturis istis visibilibus cognoscit invisibilia Dei, i. e. æternam ejus tum potentiam, tum Divinitatem, quantum

B

magis

magis Angeli non tantum ex istorum visibilibus, sed sua etiam ipsorum natura contemplatione Deum cognoscunt? Ita vero naturaliter Deum norunt, ut nec S. Trinitatis, nec alia fidei mysteria eo pacto sciant: quum enim illa supra naturam captum posita sint, neque ex creaturis innotescant, nec Angelica solo naturae lumine cognoscere possunt.

§. 24. III. Cognoscunt Angeli suo modo futura contingentia, quatenus scilicet ex suis causis innotescere possunt. Ea vero duplicis sunt generis. Quaedam enim dependent ex causis naturaliter agentibus, & ad unum oppositorum determinatis; quaedam vero ex agentibus liberis. Illa cognoscunt certo, eum in modum, quo Mathematicus cognoscit, futuram esse eclipsin; haec tantum probabiliter, & per conjecturam. Idem sentiendum est de cogitationibus cordis humani, quas Angelus non cognoscit nisi per conjecturam, ex quibusdam signis & indiciis atque effectibus desumptam. Unde etiam in Scriptura soli Deo scrutatio cogitationum & secretorum cordis humani tribuitur 2. Paralip. 6. 30. Ps. 44. 22. Jer. 17. 10. Act. 1. 24. Rom. 8. 27. Et ex cognitione cogitationum divinitas Filii Dei in Scripturis comprobatur Job. 2. 24. Apoc. 2. 23.

§. 25. Quae hactenus de Angelorum cognitione diximus, latius extendi non debent, quam ad naturalem eorum cognitionem, quae simul bonis ac malis Angelis communis est. Praeter hanc autem cadit in eos etiam cognitio quaedam supernaturalis. Nempe Angeli initio statim cum natura insignia gratiae dona acceperunt, quae supra in §. 9. subinnuere voluimus, cum eos dicebamus creatos in sapientia, iustitia & sanctitate, secuti S. Scripturae ductum, quae de malis Angelis pronunciat, quod in veritate concreatae iustitiae & sanctitatis non steterint Job. 8. 44. quod non servaverint suam originem Epist. Jud. v. 6. Ex quo utique sequitur, quod conditi fuerint in veritate, & vi originis suae fuerint meliores ac perfectiores, quam nunc sunt. Quemadmodum autem homo creatus fuit cum iustitia, quam vocant originalem, ita vero maxime consentaneum est, Angelos perinde cum iustitia originali esse conditos, & malos dici non servasse suam originem, quod in peccatum prolapsi concreatam iustitiam originalem amiserint. Haec vero ex parte intellectus complectitur sapientiam, sive lumen quoddam supernaturale, quo Angelicus intellectus elevatus fuit ad cognoscenda ea, quae aliis cuiusque creati intellectus captum excedunt. Et lumine gratiae, quod ipsis concreatum fuit,

fuit, Deum cognoverunt perfectioni modo, quam solo natura lumine cognosci potest, nempe quod in essentiâ unus sit, & tamen trinus in personis. Hac enim cognitio in eâ, quâ conditi sunt felicitate, vix iis deesse potuit. Utrum verò alia etiam mysteria in primævo statu suo cognita habuerint, & quanam, incertum est. Mysterium incarnationis quidem annunciatum est Zacharie per Angelum Luc. i. v. 16, 17. nec non B. Virginii v. 35. & seqq. & in aliorum mysteriorum revelatione Deus Angelorum ministerio interdum usus est: sed cognitio hæc ipsis à Deo per specialem revelationem obtingere potuit, postquam in bono confirmati sunt; nec constat, utrum omnes Angeli, an illi tantum, quorum ministerio Deus tunc usus est, cognitione illâ imbuti fuerint.

§. 26. Præterea sicut intellectu, ita voluntate liberâ præditi sunt Angeli; quæ voluntatis eorum libertas probatur dupliciter: nam 1. de essentiâ voluntatis est, ut multa liberè velit & nolit. Ubicunqve ergò voluntas aliqua est, ibi etiam est libertas ea, quæ necessitati opponitur. 2. quia alias nullus Angelus peccare seu labi potuisset: sine libertate enim arbitrii nullum peccatum actu ipso perpetrari potest.

§. 27. Cæterum pro diversitate statuum, in quibus diversis temporibus Angeli constituti fuerunt, eorum libertas non uno modo sese habuit. Nam in primo, in quo conditi sunt, statu voluntas omnium æquè indifferens fuit ad bonum & malum, ita ut per concretam justitiam & sanctitatem possent Deum diligere supra omnia, ejusq; præceptis perfectam præstare obedientiam, & omnia præcavere peccata. Quod etiam fecerunt aliqui, qui in primævâ integritate perseverantes constantia suæ præmium post acceperunt, & in bono confirmati sunt: in quibus desit libertas ad bonum & malum, cum peccare amplius non possint. Cæteri, donis gratiæ concretis abusi, peccaverunt, & per peccatum perdidit eam, in quâ creati erant, felicitatem; in quibus itidem desit indifferentia ad bonum & malum, quum bene agere nequeant.

§. 28. Porro sicut intellectu & voluntate, ita etiam facultate pollent 1. suas cogitationes & sensa animi communicandi cum altero, quod vulgo vocant loqui. 2. operandi, & in effectum deducendi id, quod natura & primævo statui suo convenienter volunt.

§. 29. Prius quod conveniat Angelis, nemo, quod sciamus, in du-

bium vocat, & ex Scripturâ probari facile potest. Nam Esa. 6. 3. dicuntur clamasse alter ad alterum, & dixisse: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth, plena est ejus gloriæ omnis terra. Et Zach. 2. v. 7, 8. legitur: Ecce Angelus, qui alloquebatur me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus, & DIXIT ad eum &c. Apoc. 7. v. 2, 3. Vidi alium Angelum, ascendentem ab ortu Solis, & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est lædere terram, & mare, dicens: Ne lædite terram. Quæ loca, etsi agunt de Angelis, prout per visiones Prophetis apparuerunt, & de locutione externâ, quæ aliis iis non convenit, nisi per accidens, & ratione assumtorum corporum: per consequentiam tamen probant, iisdem convenire etiam locutionem quandam internam & spiritalem, quæ possint alter alteri secreta cordis manifestare. Ad quid enim introducerentur inter se colloqui exterius in corporibus assumtis, si interius & extrâ corpus in suo naturali statu constituti colloqui non possent: Et quomodo constare posset societas inter Spiritus incorporeos, si nulla intercederet inter eos cogitationum interiorum communicatio?

§. 30. Potentia operandi inest Angelis (1.) insignis & admiranda quidem (2.) finita tamen, & divina potentia subjecta. Prius patet I. ex epithetis, quæ in S. Scripturâ iis tribuuntur, quando vocantur fortes robore Ps. 103. 20. Exercitus Domini Gen. 31. v. ult. fortes Matth. 12. 29. fortes armati Luc. 11. 21. potestates in abstracto, & Mundi-potentes Eph. 6. 12. Angeli virtutis cœlestis 2. Thess. 1. 7. Leones 1. Petr. 5. 8. II. ex insignibus effectibus, quorum quædam recensentur Job. 1. 19. Matth. 8. 32. Eph. 2. 2. Ita 2. Reg. 19. Angelus Domini unâ nocte percussisse in castris Assyriorum legitur CLXXXV. M. hominum. Sed & vis illorum in motione corporum conspicua est. Sic Diabolus Christum ipsum in pinnaculum templi & montem excelsum sustulit Matth. 4. & Angelus Domini Habacucum vertice prehensum ex Judæa Babylonem asportavit, ut est Dan. 14. 32. Et de obsessis res nota est, jactari eos, & in altum extolli à Diabolo solere. Posterius videm obscurum esse nequit. Quia enim creatura sunt, necesse est, ut & essentiam & potentiam acceperint à Deo: omnis autem essentia ac potentia, ab alio dependens, finita est, & subjecta potentie ejus, à quo dependet. -

§. 31. Notantèr verò diximus superius: Angelos pollere potentiam operandi id, quod naturæ & primævo statui suo convenienter volunt.

Nam

Nam mali Angeli, quæ eorum est malitia, indubiè multâ volunt, quorum efficiendorum potentiam non habent. Quin multa volunt, quæ naturali virtute agere possunt, quibus tamen à Deo non conceditur potestas, ea in actum deducendi. Unde nec homini, etiamsi velint, ne tantillum tamen nocere, nec quicquam in naturâ efficere possunt, nisi permittente Deo, ut colligitur ex Exod. 8. 18. Job. 1. 12. c. 2. 6. Matth. 8. 31.

§. 32. Quod si quæras, quousq; sese extendat Angelorum potentia, si absolute & in se spectetur; respondemus, eam extendere se. 1. ad illa tantum, quæ finitam potentiam non excedunt. Unde nec ex nihilo aliquid producere, nec mortuos suscitare possunt. Neutrum enim nisi ab infinitâ virtute fieri potest, quâ solus Deus pollet. 2. Nec omnia, quæ aliâ sub finitam cadunt potentiam, immediatè per suam potentiam efficere possunt, sed ea tantum, quæ nature & potentie ipsorum proportionata sunt. Nullam enim corpoream substantiam Angelus per se producere potest, quin nec corpus verè immutare posse videtur. Non potest producere substantiam: nec enim eam creare potest, ut constat, nec generando producere: nâ nulla generatio sine præviâ alteratione fieri potest: Angelus verò, cum Spiritus sit, materiam alterare nequit. Hinc magi Exod. 8. 18. ope Diaboli, ne pediculam quidem producere potuerunt. Idem sentiendum de corporis immutatione.

§. 33. Diximus: immediatè & per se Angelum nihil tale posse. Nam mediatis causis naturalibus multa, quæ in sui admirationem nos rapiunt, efficere possunt Angeli, dum solerter activa passivis applicant. Et probabile est, hoc eos modo quandoq; fecisse & facere, quæ in aspectu naturali hoc mundo operantur; nempe, mediante motu locali, quo agentia naturalia applicant patientibus. Ita effecerunt, ut ignis de celo decideret, & oves cum pastoribus consumeret Job. 1. 16. excitarunt ventos vehementes, quibus concussa sunt ades filiorum Jobi, & hi, corruente domo, oppressi sunt, ibid. v. 19. Eadem viâ excitare possunt terræ motus, morbos corporibus humanis immittere, & si applicant herbas & medicamenta, quarum naturam & virtutem ex assè, & ipsis etiam hominibus rectius, callent, sanare eosdem: imò quicquid per occultas qualitates herbarum, lapidum, gemmarum, succorum &c. fieri potest, id omne prædictum in modum per illas prestare possunt Angeli, si nimirum eas ad agendum applicant. Tum verò, dum agilitè corpus unum tollunt, & alterum in ejus locum substituunt, admirabiles præstigias & effectus edere

valent. Eo modo miracula sua in Ægypto patrarunt magi Exod. 7. seqq.
& Dæmones olim statuas moverunt, ut ambulare viderentur, linguas
item brutorum agitarunt, ut loqui apparerent, & infinita his similia apud
Ethnicos patrarunt.

§. 34. Hinc non tantum res alias, quò volunt, deportare, sed sei-
psos etiam de loco in locum movere possunt celerrimè, ut inter alia col-
ligi potest ex Job. 1. 7. c. 2. 2. Matth. 8. 32. & inde patet, quòd, sicut essen-
tiam habent finitam, ita naturalitèr nec ubiq; nec in locis distitis simul esse
possunt, sed dum sunt in uno, non sunt in altero. Necessè enim est, ut in
loco & aliquo definito rã sit, & si alibi præsens esse ac operari velit, de
loco in locum moveatur, quòd essentiam & virtutem operandi finitam ha-
bet. Ubi tamen notandum, Angelos non esse ita in loco, ut ei commensuren-
tur, & corporis ambientis superficie circumscribantur, sicut corpora in loco
sunt. Quia enim incorporei, & quantitatis ac magnitudinis expertes sunt,
repugnat, eos ullius corporis superficie circumscribi, & loco commensurari.

§. 35. Postremò diximus suprà §. 9. Angelos esse creatos à Deo, ut
Deum creatorem suum laudent, ejusq; mandata exequantur, & æter-
nà perfruantur beatitudine. Quibus significare volumus finem, ad
quem conditi sunt, qui spectatur, vel ex parte Dei, & est gloriæ divinæ
illustratio; vel ex parte Angelorum, estq; æterna eorum beatitudo. Sed
de his uberiùs agere instituti ratio non admittit.

44
תת



LAudio, quòd scandis jam iterum, GISÆE, cathe-
Muneraq; ingenii prodis amica tui: (dram,
Perge tuas sacrare Deo, sacrare Sioni
Musas. En! opera præmia larga feres.

Eruditè docto Dn. Respondenti faventiæ
singularis fidem signabam

Daniel Michaël, D.
Præses.

De

De

Egregiis Conatibus

Eximio & Præstantissimo

DN. RESPONDENTI

sic gratulantur


CONVICTORES.

Ferrea frons Erebi chaos est servantibus: audent
Omnia, quæq; queunt arte nocere, nocent.
Vix ita cana quatit Cerealiamunera grando,
aut trux fulmineo turbine nimbus agit;
Tanta nec, offensis Aquilonibus, æquor arantum
vela repentino turbine torquet hiems:
Quanta Ducis stygii rabies inflammat alumnos
& furor humani sternere castra gregis,
Saxa furens ignesq; nigra Regnator Abyssi
perpetuo Christi projicit inter oves.
Ipse monet socios armisq; ferocibus instat,
dedat ut æternæ millia multa neci.
Non ubi summotâ candet caligine cœlum,
flammea rot libycus sidera torquet Atlas;
Nec florum totidem tellus vestitur amictu,
cum bona nidifico tempora vere fluunt:
Reticulûm pandit mundi quot carbasa ponto
Styx, & pallentis qui domat antra Stygis.
Quos libet hinc vultus fingit, fingitq; figuras
quaslibet, ut lateat Polypus arte suâ,
Angelus hinc lucis modo conspicitur, tamen inde;
Angelus est Ditis, qui modò lucis erat.

Nec

Nec feritas animo concedit oborta quietem,
 Pervigil incautos more Leonis obit.
 Misceret coelum terræ, terramq; profundo,
 Sed furor in ventos irricus omnis abit.
 Gratia debetur rutilantibus illa catervis,
 quæ vigilis partes excubitoris agunt.
 Scilicet his mandata piæ tutela cohortis,
 & pro Christiadum bella gerenda focus.
 Gæsa capeffentes iustus Cacodæmonis arcent,
 ne gregis evicti sanguine plenus ovet.
 Ergò quis cesset tantis custodibus usus
 Præfidium gratâ voce probare Dei?
 Dum festum mixto percurrans astra tepore,
 ætherei gentis lampade Phœbus agit.
 Sunt equidem multi, quibus hæret cornea fibra,
 hæc qui dant, veluti murmura vana, Notis.
 Ast meliora placent tibi, *Flos GISÆE Rosæti,*
 Flos Charitum, Sophies Eusebiesq; decus.
 Nam tua cura Deus, per quem tibi quæris honorem;
 cujus in unius quæris amore decus.
 Aligeros dum sub chartâ meditaris Olympi,
 & sianul haut ficto Numen amore colis.
 Perge, piis scriptis Magnum celebrare JEHOVAM,
 notior ut fiat gentibus hujus HONOR.
 Inde tuum nomen patriæ clarescet in orbe,
 ac patriæ fies gloria magna tuæ.





De
Egregiis Conatibus
Eximio & Præstantissim
DN. RESPONDE
sic gratulantur
CONVICTORES.

FErrea frons Erebi chaos est servanti
Omnia, quâq; queunt arte nocere
Vix ita cana quærit Cerealia munera gra
aut trux fulmineo turbine nimbu
Tanta nec, offensis Aquilonibus, æquo
vela repentino turbine torquet hi
Quanta Ducis stygii rabies inflammat a
& furor humani sternere castra g
Saxa furens ignesq; nigra Regnator Ab
perpetuo Christi projicit inter ova
Ipse monet socios armisq; ferocibus in
dedat ut æternæ millia multa nec
Non ubi summo tã candet caligine coelu
flammea tot libycus sidera torquet
Nec florum totidem tellus vestitur ami
cum bona nidifico tempora vere fi
Reticulũm pandit mundi quot carbasa p
Styx, & pallentis qui domat antra
Qvos libet hinc vulcus fingit, fingitq; fig
quaslibet, ut lateat Polypus arte su
Angelus hinc lucis modo conspicitur, ta
Angelus est Ditis, qui modò lucis

Nec